

Iantiae comitti posse videntur; in hunc autem finem necessarium fore praevidemus, ut tam Supremi Comites, quam Magistratiales in gremio Comitatuum semper resideant.

Quemadmodum porro in Clementia Majestatis Vestrae Sacratissimae de-
missemus speramus, quod publica et politica, intrinsecum totius Regni Statum tan-
gentia negotia, posthaec item ad Banum et Regnum inviare dignabitur, ita quae
in Generali Statuum Congressu pro Summo Majestatis Vestrae Sacratissimae
Servitio Bonoque Patriae publico antelatis Comitatibus committentur, in iis deinceps
quoque Bani et Regni dispositioni subesse debere videntur; si quae vero ejus-
modi publica et politica occurrerent negotia, quae quemque privative Comitatuum
respicient, ea medio Bani, modalitate hactenus observata, eisdem intimari. ac in
particularibus aut Generalibus, cum interventu etiam Praelatorum, Magnatum et
Nobilium, ac Liberarum Regiarumque Civitatum celebrandis Congregationibus per-
tractari in saepefatis Comitatibus posse videntur, ita nihilominus, ut cum privativa
etiam Comitatuum negotia ad Generale Regni sistema plurimum influerent, ac
sine debita horum Communicatione Status publici directio minus debite procedat,
singularum Congregationum suarum Prothocolla Bano submittere teneantur.

Ipsum praeterea Commune Gubernii vinculum requirere videtur, ut immi-
nente Generali Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum Diaeta, Singuli
Comitatus gravamina et postulata sua Statibus et Ordinibus horum Regnorum
referant, per Ablegatos Regni in Diaeta proponenda et promovenda. Quem in
finem aequa ac ad alias omnes Regni Congregationes eisdem intimandas, per eos
vero intra Comitatum suum publicandas, modalitate consveta comparere antefati
Comitatus teneantur.

Sed quia in hac laborum, qui per regulationem istam Officialibus Magi-
stratalibus accedent, accumulatione, iidem obligationi suae penes exiguitatem
habitorum hactenus salariorum accurate defungi haud posse praeviderentur, quo
congruis hi quoque salariis provideri possint de Augusta Majestatis Vestrae
Sacratissimae munificentia in tanta Regni hujus incapacitate non possumus non
optime sperare.

Cum autem necessitas ipsa tam pro celebrandis Congregationibus, Sedriis
et Sedibus criminalibus, quam pro Archivo et Carceribus postulare videatur, ut
Comitatus quoque Crisiensis (cui propter sui exiguitatem unum suffectorum Vice-
Comitem censemus) suam habeat domum: hinc Innatam Majestatis Vestrae Sa-
cratissimae clementiam supplicibus denuo precibus interpellamus, dignetur huic
fini seu novam seu veterem Commandae domum Crisiensem benigne destinare,
ad quam acta publica, illum privative tangentia, transferri possint; Actis Comi-
tatus Zagradiensis in Domo Regni, cuius usum eo quo haetenus modo deinceps
quoque habere poterit, conservandis.

Caeterum quoniam Comitatus omnes authentia gaudere dignoscerentur,
ea vero sine authentico seorsivo sigillo fungi nequirent, firmam collocamus in
Materna Majestatis Vestrae Sacratissimae pietate et Clementia fiduciam, fore ut
id antelatis quoque Comitatibus, supplices eatenus preces posituris, benigne
elargiri dignetur.

Et haec sunt, quae ad sistema publicorum negotiorum pertinere videban-
tur. Juridica autem Comitatibus ita relinqui posse censemus: Ut quoties opus
erit in Sedibus Judiciariis Jus et Justitiam juxta Leges Regni Causantibus ad-